

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0027

0025

0031

0021

0036

0016

0076

0126

0526

1026

Ende

Anfang

16

sissimo cruento perfusus, locus, ubi ponit meruit dominici sepulchri fundamentum, et locus, quem resurgens Christus a mortuis suae resurrectionis gloria multipliciter illustravit, alienarum subvertitur imperio nationum. Quis igitur, nisi ferreum pectus habens, vel adamantis durissimi cor gerens, terrae illi non aperiat viscera pietatis? Quis non provocetur ex intimis, quis non accendatur ad iram, et animetur audacter ad actum debitae ultiōnis? Absit, ut miles sancti sepulchri relinquat arma rubigini. Absit, (B) ut animum neget victoriae, cum non desit victoribus corona gloriae. Milites enim Christi, qui contra infideles arma sumunt, quam secure, quam sancte proelia Domini sui et sponsae ejus ecclesiae proeliantur, quibus metuendum nequaquam sit aut de hostium caede peccatum aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo ferenda sit vel inferenda. Miles inquam talis et securus interimit, aut interit securior, quia et sibi praestat obsequium cum interit, et Christo cum interimit, neque dum occidit malefactorem homicida, sed ut ita dixerim malicida, et plane vindicta et defensor reputatur Christianorum. In morte enim pagani Christianus merito gloriatur, quia Christus glorificatur. Exergiscimini ergo, milites strenuissimi, et ad ulciscendam Dei nostri injuriam et populi christiani opprobrium consurgite ad instar quandam robustissimorum Machabaeorum, et occisis aut profligatis perfidis in christiana reipublicae haereditatem Domini reducere studete. Et quidem illatis quisque suis subditis injurias ulciscitur, et Dei sui non vindicabit injurias tam atroces? Ad haereditatem quilibet suorum manus invasorum extendi non sustinet, et patienter haereditatis dominicae tanto tempore detentores sustinebit? Ne igitur, qui crucem adorant, in Crucifixo dissimulent, quod juste non tollerant in homine. Pungat ergo mentes et animas vestras contumelia Redemptoris, et zelus fidei ejus corda accendat, et nequaquam formido retrahat ab hoc gloria pugna, in qua semper est Victoria et perpetuae gloriae corona.

Orationis finis. Oratione hac finita regratiabantur mihi milites plurimum, et se ad terrae sanctae redemtionem paratissimos esse dicebant, dummodo reges, principes et duces christiani populi eodem zelo accensi praecederent, sine quorum motu nemo ad

